



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Exemplorum Libri Tres

Liber Secundus, Siue Exempla, In Septem Capitalium Vitiarum  
Detestationem, Per Quadragesimam, Anno M. DC. XLVI. narrata

**Stengel, Georg**

**Ingolstadii, 1650**

§. 24. Ira hominem euertit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48186](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48186)

riari, ac dicere, sibi ad eò exoptatam ac suauem, de suo inimico, vindictam obtigisse, vt maiorem sperare non potuisset: nec enim animam se illi solam è corpore exturbasse, sed etiam, abiuratione, tam dira, effecisse, vt recto itinere descenderet ad Acherontem, & cruciatus semper duraturos. Qua utique vindicta non potest crudelior excogitari, etiam si cacodæmones omnes in commune concilium conuenirent. Excogitauit autem eam Ira, seu odium, quod est Ira inueterata.

Quid autem, putatis, eiusmodi truculentiam apud diuinum tribunal mereri? D. certè Hieronymus ait: *Sicut misericordia sursum estuat ad Deum; ita deorsum crudelitas in infernum abijcit.* Quin & Plato Ethnicus ait: *Crudelitas in Tartari barathrum improbos abijcit, unde nunquam egrediuntur.* Nulla res ad eò æternam damnationem prouocat, vt alterum obijcere æternæ damnationi, quam vt euadere possemus, Deus filium suum misit, vt extrema pro nobis supplicia pateretur. Eum imitari Christianum, immo humanum, est, quia Deus, vt Lactantius loquitur, *qui ceteris animantibus sapientiam non dedit, naturalibus ea munimentis ab incurso & periculo tutiora generauit. Hominem verò, quia nudum fragilemque formauit, vt eum sapientia potius instrueret, dedit ei, præter cetera, hunc pietatis affectum, vt homo hominem tueatur, diligat, foueat, contraque omnia pericula, & accipiat, & præstet auxilium. Summum igitur hominum inter se vinculum est, humanitas: quod qui diruperit, nefarius & parricida existimandus est.* Immo non homo, sed bestia, sed tigris, sed diabolus, qui & ipse circuit quærens non tam, quo modo corpus, in tumbam, quam quomodo animas in gehennam perdat.

Indignamini, vt video, hominem repertum esse, qui tam immane & inhumanum flagitium ausus sit committere? ignoscite mihi, si ostendero, multos hodieque inueniri illi pares, qui homines rectè dici non possint, cum itidem non tantum sæuiant, ritu belluarum, sed odijs ardeant diabolorum. Neque enim, vt supra innui, satiantur, si inimicum opibus spolient, si fortunis euertant, si nomine bono exuant; si in vincula & carceres compingant; neque verò etiam, si saucient, si trucident. Ultra furor eorum exardescit; ad animas quoque perdendas extenditur. Neque id enim illi soli faciunt, qui alijs scandalo sunt, eosque secum in omne ge-

RWS

XXIV.  
IRA HOMINEM  
EVERTIT.  
S. Hieronymus  
in 12. Proph.

Lactant. l. 6.  
de verò cult.  
cap. 10.

XXV.  
SCANDALIZANTIVM, IMPRECANTIVM, GRASSANTIVM, INFANTICIDARVM MALITIA.